

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
1008

1006

1012

1002

1017

0997

1057

0957

1107

0907

0507

0007

Ende

Anfang

435

iracundi canes contra se venientes, vel equi mali, qui se
morsibus salutant.

In processu per campum venimus, ubi campus deorsum
se inclinat, et per taediosum et longum clivum descendimus
et intolerabili solis aestu et siti affligebamur. Tandem supra
limbum cuiusdam horribilis et profundissimi torrentis venimus,
quem nominant Hallicub, qui in utroque latere rupium parie-
tibus altis cladebatur, et erat vorago arcta et adeo profunda,
quod respectus in eam horrorem nobis incuteret, nullam autem
aquam in ea vidimus nec audivimus, per omnia tamen vallis
disposita erat, ac si fluvius per eam decurreret. Murmura-
vimus ergo contra Calinum pro eo, quod super torrentem
arentem nos duxit specificans nos de aqua, cum non esset
ibi; et ipse, uti vir mitis erat, consolabatur nos dicens,
torrentem jam quidem aquam fluentem non habere, sed stan-
tem in cavernis petrarum et in foraminibus lapidum et in
fossatis terrae. Jussit autem nos de asinis descendere et
bestias asinariis resignare et in loco, ubi per petras pateret
descensus, in voraginem descendere. Camelarii ergo et asinarii
duxerunt bestias in locum planum supra voraginem et ibi eas
exoneraverunt, nos vero supra marginem cucurrimus et locum
descendendi per rupes quaequivimus, quo invento in profundum
descendimus; reperimus autem aquas in cavernis et scissuris,
quae remanserant, dum torrens aquis inundaverat ante plures
menses. Erat autem aqua calida et dirissimi odoris, crassa
et quasi bituminea, coloris viridis et plena vermiculis, qui in
aquis putridis crescere solent, saporis tamen innoxii. His
aquaee dispositionibus contrariis (**38a**) non obstantibus repente
cecidimus super ventres nostros et manibus hausimus et bivi-
mus cum multa aviditate, sine cura et sine aquae colatione.
Sitibundus enim non discernit potum nec videt, quid bibat,
sed solum festinat, ut bibat. Credo firmiter, si homo ad sim-
plicem sitim hanc aquam bibisset, nequaquam grave nocu-
mentum evadere posset, sed sitis vehemens multa consumit
et labor praecedens et consequens. Nam postquam ventres
aqua replevimus et appetitui satisfecimus, tunc aperti sunt
nobis oculi, et vidimus aquam vermbus scaturientem et im-
mundam, quam cum vermbus et immunditiis sorbuimus.

28 *

